

vino et aqua, & illis abiectis, decoquatur deinde ad
 perfectionem, et fiat iusculum, uel pastillatura, uel assa-
 tura, cum salsameto conuenienti cum salsa scilicet uir-
 di, fortibus speciebus. et uino in hyeme, cum debilibus
 speciebus. agresta et aceto, in estate. Commodius tamen
 ab esu huiusmodi piscium abstinetur. Stomacho enim
 & renibus. sunt inimici, sed precipuum sentiunt nocu-
 mentum ex eorum obsonijs, qui arenulas mingere con-
 sueuerunt, quoniam illa anguillari glutino, in calcu-
 los cogit et adstringi uideatur. Podagra quoque labo-
 rantibus manifeste officiant, nec ullis morbis meden-
 tur, sic ut iniquè natura fecisse uideatur, quæ tam
 suauem refutandis expuendisque piscibus indiderit
 saporem. Medici omni ex loco, omniq; tempore, et
 presertim circa solstitium, anguillas detestantur.
 Secundo loco dicitur cascum & anguillam, si come-
 antur, plurimum nocere, quod intelligendum est, si ma-
 gna quantitate sumantur: causse partim dictæ sunt
 cap. 7. & partim hoc cap. Postremo dicitur, si præ-
 dicta cum frequenti potatione uini sumantur, mali-
 tiam eorum corrigi. Quod tamen non est intelligendum
 de uino subtili et penetrante, quia super cibum mali-
 chymi bibere uinum dum comeditur, aut antè, aut post-
 quam digeritur, est malum, ut testatur Aui. 3. 1. doct.
 ca. 8. Quoniam facit malum chymum in extrema cor-
 poris penetrare, unde maximum sequitur nocumentum.
 sed intelligendum est de uino forti, non admodum penetrante